mens nullo laborat prauo iudicio propè diuina & ſingularia, tanto cũ applauſu ſint excepta, vt nõ ſolùm eius diſcipulis, in quorum gratiam primò ſolum elaborata videbantur, approbarentur: verum etiã egreſſa patrios fines, in vniuerſæ ferè Eccleſiæ Dei conſpectum, ſuo merito ac vtilitate lõgè lateq́ diffunderentur, his quoq; in Vetus Teſtamentum Commentariis, quorum ipſe etiam in ſuis editis alicubi meminit, lucem optare non deſtiterunt, vt quæ hactenus priuati ſolum vſus quorundam eius diſcipulorum fuerãt, deinceps publici iuris in multorum emolumentum fierent. Et licèt hæc fortè talia tantaq́ eſſe minimè iudicarent, qualia quantaq́ futura fuiſſent, ſi Deus Autori ipſi vitam vireſq́ incolumes, vt pij omnes cer-